



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Superbia deprimitur, descendit, cadit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Ut arborum ramos exuberans copia fructuum deorsum versus insectit; ita & accessio dives virtutum sensum hominis se possidentis demittit, atque humiliat. S. Antiochus hom. 70.

Grandis, & grossa, trabs, est superbia; quae te putas esse aliquid; cum nihil sis. S. Bernardus. Apol. ad Guilielm. Abb.

Quid dicemus de superbis? nimirum quia palea ipsi sunt, humiles autem, & qui timent Dominum, ipsi sunt triticum. Luc. 3. 17. Verbum autem Domini pro similitudine illis est, & erit venti vehementis: quod tam facile, imò & multò facilius, reprobos omnes, exterminabit; quam vehemens aura paleam de area cuiuspiam eliminare possit. Rupertus lib. 2. in Matth.

Comparatur superbia vento propter tria. Quia ventus exinguit lucem, & exsiccat rorem, & exufflat pulverem: sic superbia exinguit lucem sapientiae, exsiccat rorem gratiae, exufflat pulverem vanitatis mundanae. Secundò superbia comparatur fumo, quia, sicut fumus ascendendo deficit; sic superbus, plus exaltatus, plus evanescit. S. Bonaventura dicit. Sal. c. 3. de superbia.

Malus mercator est, qui se decipit; qui se appetit plus, quam valet. Sed alios appetiunt, & se despiciunt, hoc est principalissimum studium sapientiae. S. Bonaventura s. 19. hexam.

Superbia velut foeminea derelicta, regina, non fociata oculi regimine; nec suam aspiciens viduitatem, proprio delectata dominio, socias sibi similes, & criminosas, assumit; cum quibus confabulatur in verbis mendacii, & provisionis dignae. Plurimum se palliat tegumentò virtutis, ubi aliter se confurgere posse praecognoscit; & ne vilescat, suam aemulam, humilitatem scilicet, saepe vocat. Antequam obtineat, ut regnet, blanditur ut catula; dum obtinere concertat, cum vulpina pelle progreditur; cum obtinuerit, leonis assumit aspectum. Sim. Cass. l. 8. c. 45.

Ut in aera extollitur palea super granum; non quòd sit dignior, sed quia levior: sic in hac vita superbus fertur super humilem; non ob meritum, & veram virtutem; sed ob vanitatem, & falsam de se opinionem. Diez Superbia.

Superbi similes montibus: mons enim, juxta Isidorum, est tumor terrae. Conservat etiam diutius nives: sic de frigore malitiae superbus non facile resolvitur. Geminiani c. 76. lib. 1.

Superbire est contra naturam hominis: quia est naturae terrestri, tam origine, quam resolutione. De terra est, & in terram redit: terrae autem, cum sit gravis, non est ascendere, sed descendere. Eccl. 10. 22. non est creatura hominibus superbia. Id. 75. lib. 1.

Superbi similes locustis: quae in saliendo se erigunt; sed mox cadunt. A vento australi generantur; sed in aquilone moriuntur. Sic, post ascensum superbiae, subitus casus. Oriuntur ex austro prosperitatis; sed in aquilone adversitatis deficient. Geminiani l. 4. c. 84.

§. II.

Superbia diabolum respiciens.

P *Allytheus* 1. Reg. 17. 1. interpretatur *pestose cadens*. Significat diabolum, qui superbia veneno ebrius motu pede cecidit; expulsum est, stare non potuit. S. Rupertus l. 2. hic.

Repleta est terra scientia Domini. II. 11. 9. Quae est scientia Domini? quae mira haec effecit; nisi humilitas Domini. Sicut è contrario stultitia astitit, id est, diaboli, superbia est diaboli. Idem hic.

Beati pauperes Spiritu. Matth. 5. 3. Miseri, & detestabiles sunt, qui spiritu divites, & elato animò sunt: nam eorum est regnum diaboli. Ex Theologia Germanica Anonymi Equit. Teuton.

Multa quidem animam passiones, atque vitia, ceu agmine quòdam circumdant; at superbia, aegritudinum arx; quae Deum bello petat, diaboli morbo laborat. Si vel omnem virtutum chorum in medium adduxeris, dum caput superbia inferat, illarum lumina omnia extinxit. S. Basilius Seleuc. orat. in Public. & Pharif.

Omnis, qui superbiam diligit, diabolo plenus est. S. Caesarius Arel. hom. 23.

Quemcumque superbum, videris; diaboli filium esse non dubites quemcumque humilem contempseris; Dei esse filium, confidenter credere debes. Id. hom. 11.

Quid tu superbis, terra, & cinis? si superbiacibus Angelis Deus non pepercit; quanto magis Sibi, putredo, & vermis? Fugite superbiam fratre mei; quae non modò Angelum; sed Angelorum primum, in diabolum commutavit. S. Bernardus s. 1. de Adv. Dom.

Omnes superbi, discipuli sunt diaboli; qui est Rex, & magister, super filios superbiae. Richardus à S. Vict. serm. in die Paschae.

Superbia similem facit diabolo. S. Thom. Aqu. Dom. infra oct. Epiph.

Sunt duorum Principum vexilla duo distincta: humilitas, & superbia; humilitas Dei, & Superbia diaboli. Joan. Gerson tr. 8. Sup. Mag. nif.

Diaboli uxor Superbia est: quia ab initio duxit eam, cum dixit Is. 14. 13. *Ascendam & c.* Hugo Card. in Marci 6.

§. III.

Superbia deprimitur, descendit, cadit.

Num. 1.

Symbola.

G *igantes autem erant super terram*. Gen. 6. 4. Pro gigantibus alii, *cadentes*, alii *violentos*, traasulere ex Hebraeo. Cadentes autem rectè dicuntur, id est, superbi: nam hoc ipsum superbire, cadere est. Rupertus in Gen. l. 4. c. 14.

Ascendentes, & descendentes. Gen. 28. 12. Non aliud, sine dubio, descensus ille, & ascensus, à nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, & humilitate ascendere. Scala verò ipsa

ipla erecta est vita in hoc saeculo; qua humiliato corde a Deo erigitur in caelum. Latera ejus scilicet dicimus, nostrum esse corpus, & animam. Id. l. 7. c. 21. in Gen.

Non veniat mihi pes superbia. Pl. 35. 12. Non pedes: quia facile cadit superbus. Eodem Pl. v. 13. *expulsi sunt; nec potuerunt stare.* Lucifer Joan. 8. 44. *in veritate non stetit.* Hinc timens imbecillitati suae ait: *sedebo in monte testamenti.* Il. 14. 13. S. Bernardus l. 85. in Matth. ideo fortassis sedere voluit, quia stare non potuit. Mendoza in r. Reg. 1. 6. Annot. 8. Sect. 1. Non vacat mysterio, quod pedem hic singulari numero posuit: certum est enim, in uno nos pede continue stare non posse; qui convenienter superbiae datus est: quoniam elatum hominem diutius non praevaleret continere. Cassiodorus hic.

Descendebat ab Ierusalem in Jericho. Luc. 10. 30. Non dixit solummodo: *homo quidam incidit in latrones; sed descendebat &c.* & tunc demum incidit in latrones. Nisi enim descenderet, non incidisset: quia videlicet, nisi mente superbiat, dati praeccepti praevagationem non incurrisset. Descendebat, quia mente tumebat: tumore namque ascendere, veraciter descendere est. Quia videlicet, ubi mens elevatur, ipsa elevatione dejicitur. Unde Pl. 72. 18. *dejecisti eos, dum elevarentur.* Rupertus l. 3. c. 1. in Gen.

Sicut in statera materiali, una parte depressa, altera elevatur; & est converso: sic in statera divinae justitiae decretum est; ut, qui in praesenti elevatur per superbiam; in futuro deprimatur per confusibilem poenam. Et est converso: qui se humiliat in praesenti propter Deum; in futuro ab eo elevabitur in gloria sempiterna. S. Bernardus l. Dom. 10. Pent.

Superbi similes sunt planetis, quia sicut planeta habet in auge sua ascensum, & exaltationem; sic in opposito augis descensum, & depressionem. Alii dicunt: quod quivis planeta, sicut in aliquo uno signo habet regnum, & gloriam suam; sic in aliquo alio abjectionem, & tristitiam. Sol habet gloriam suam in decimo nono gradu arietis, & casum in eodem gradu librae. In sole intellige mundanae sapientiae refulgentes; qui extolluntur in Ariete, in aliorum ducatu, quod consilia sua multi sequuntur. Aries enim apud pastores solet esse dux gregis. Sed haec gloria annihilatur in libra, id est, in divina Sapientia, omnia recto pondere librante. 1. Cor. 3. 19. *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.* Luna erigitur in Tauro tribus gradibus; & totidem cadit in Scorpione. Per Lunam intellige terrestrem potestatem: quae, sicut Luna terrestribus dominans, in Tauro erigitur, dum per superbiam in tyrannidem convertitur: sed in Scorpione dejicitur; quia omnis tyrannus in fine male deprimatur. Gemiani l. 1. c. 28.

Num. 2.

Testimonia.

Ex Veteri, & Novo.

In circuitu impii ambulat. Pl. 119. Legimus de eorum principe: *circuit, quarens, quam devoret.* Quod & ipse fateri cogit in

praesentia Majestatis, cum inter filios Dei astans, & unde veniat? requisitus, *circuit, ait, terram, & perambulavi eam.* Job. 1. 7. Semper superbia ejus ascendit, semper humiliatur. Nunquid non circuitus iste? qui enim in circuitu ambulat, proficitur quidem, sed proficit nihil. S. Bernardus l. 11. in Pl. qui habitat.

Vox Domini conterens cedros. Pl. 28. 5. Vox Domini contritione cordis humilians superbos. S. August. hic. Itaque legit.

Spiritus ponderator est Dominus. Prov. 16. 2. id est, superbiorum, qui altos gerunt spiritus: spiritus enim saepe festum, & superbiam, significat. Ponderat, id est, deprimat onere tribulationis, humiliationis. Cornelius hic.

Ante ruinam exaltatur spiritus. Prov. 16. 18.

Prima bestia, quasi leona, & alas habebat aquila. Aspiciebam, donec evulsa sunt ala ejus, & sublata est de terra; & super pedes quasi homo stetit; & cor hominis datum est ei. Dan. 7. 4. Talis est honoribus, & opibus, inflatus. S. Chrysostr. hom. 54. ad pop. cum in secundis rebus sunt, plures efficiuntur inflati; omnibus inimici, iracundi, cum adest potentia. Cum vero fuerit ablata; mansueti fiunt homines, & humiles, & in propria natura cognitionem veniunt. Leona alata erat Nabuchodonosor; evulsa sunt prosperitatis alae, dejectus regno &c. & Deum agnovit. Dan. 4. 31. Sic Antiochus 2. Machab. 9. 22. Barradus t. 1. l. 10. c. 16. D. 1. Epiph.

Ut precipitarent eum. Luc. 4. 29. Noluit sic mori: ut daret nobis instructionem, vitandi mortem praecipit, quae fit ex peccato superbiae. S. Vincent. Ferr. l. 1. de Invent. S. Crucis.

Ex Patribus, & aliis.

Inter omnes lapsus hominum, inter omnia commissa peccantium, nulla est gravior, quam superbiorum ruina. Malum superbiae maxime virtutibus est cavendum: quia nullis opportunis infidit, quam quibus laus justa debetur. S. Ambros. ep. 84. S. Virg. Demetriadi, post initium.

Vae homini, cujus auriga superbia est: necesse est enim, ut praecipit eat. S. August. tr. 8. in ep. S. Joan.

Audeo dicere: superbis esse utile, cadere in aliquod apertum manifestumque, peccatum: unde sibi displiceant; qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit; quam sibi placuit, quando praesumpsit. S. August. de spir. l. 14. c. 13.

Semper superba cogitantes repentinam humilitate obruuntur: nihil enim superbia detestabilis, nihil arrogantia crudelius, reperitur. Propter hanc tentationes, propter hanc dolores, propter hanc gemitus, propter hanc mortale corpus, est; propter hanc cordibus sollicitudines ingeruntur, ut anima undique tormentis obfessa, & crebris refracta suppliciiis, superbia cacumina derelinquat. S. Chrysostr. in Pl. 122.

Superbia est descensus ad inferiora. S. Gregor. Nyss. l. de vita Moysis.

Desine grande loqui; frangit Deus omne super-

uia con-
arnem,
, quod
undum
ommo-
la. 1.
si non
ugi gu-
iplare,
m Dei:
re cum
72. 5.

hostis,
; quod
natio-
bus. de

a.

st.

sunt.
ies ab
us, cir-
naben-
nquan-
clesia:
n illis.
ngelo-
pugnæ
inctus.

. Me-
to, ad-
& ten-
r, ut in
l. 4. in
rator;
63. de
mum
& vi-
oluit.
ro no-
digna-
stigi;
tiam,
retur.

homi-
ncun-
oculis
uum.
stan-
pra-

quod
butas
n, qui
nemi-
n, ex
n vo-
essia,
1. 19.
aster.
Qui

superbum: alta cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur. Prudentius in Psychomachia.

Duo ædificia, & duæ civitates, à Mundi initio construuntur: unam ædificat Christus, alteram diabolus: unam ædificat humilis, alteram superbus: una humiliatur, ut firmiter surgat; altera erigitur, ut infelicitè cadat. S. Cæsarius Arel. hom. 18.

Castigatur sæpe ex casu superbia, & præsumptio ex ruina. Pulsatur sanctitas, nè extollatur; & ut exerceatur, vexatur ad tempus: in modico derelinquitur; & in magnis miseratibus denud congregatur. Arnoldus Carnot. tr. de ult. 7. Verb.

Qui propriæ confidit virtuti, non aliter, quàm si araneæ telum conscendat, humi delapsus affigitur. S. Nilus lib. Ascet. or. 8. de Superbia.

Superbi conculcantur à diabolis: & quantum voluerunt esse super alios, tantum in Inferno sunt sub pedibus dæmonum. S. Vincent. Ferr. l. 2. D. 17. Trinit.

§. IV.

Superbi à feminis humiliati.

Nimicitias ponam inter te, & mulierem.

Gen. 3. 15. Non inter te, & virum. Abulensis: magna hæc pœna diaboli, quia superbus est. Superbi enim dolent valde, quando aggrediuntur, & vincuntur; præsertim à sexu fragili. Velloso in Judith 5. Paræn. 24.

Dux Sisara à muliere prostratus. Judic. 4. 21. Abimelech femina percussit. Judic. 9. 53. Assyriorum acies viduæ opulante cæsa. Judith. 13. 9. 10. Simili modò Attila rex Hunnorum superbissimus, qui se appellebat flagellum Dei, & in aciem educebat 700000. armatorum; adeoque Theodosium Imp. sibi tributum pendere cogebat; ac spe totius orbis imperium devorabat; à Deo, superbos humiliante, per feminam cultrò occisus est, teste Baronio A. C. 454. Cornelius in Judith c. 13.

§. V.

Superbi humiliati per parvulos.

Surge, & interfice. Judic. 8. 20. Mandat Gedeon sechero, ut reges interimat. Senfere reges, ab Hebræo se spretos, ac doluere; proinde rogârunt v. 21. *tu surge, & irruè in nos.* Abul. q. 17. propter honorem: quia magis horrebant mori per manum pueri. Velloso in Judith cit.

Emitte agnum Domine. Il. 16. 1. Agninâ mansuetudine diaboli superbia propulsanda erat: nec videretur potentia solum humanæ naturæ vicisse victorem. Quasi ad excusationem suam assumeret callidus hostis, quòd non æquò certamine esset devictus; sed superioris violentiâ suscepisset conflictum. Contra quem ut agnus, emissus est Dei Filius inire certamen: qui eum vicit passus, & peccata tulit occisus. Sim. Cass. l. 3. Joan. 1.

Rex Angelorum indixit bellum adversus regem superbiæ filiorum: qui humilis, & parvus, civitatem tyranni, scilicet Babyloniam hujus Mundi, intravit; mox exercitum Chri-

stianorum parvulorum congregavit: quia venit humiles eligere, atque per eos superbos dispergere. S. Honorius f. de Innocentibus.

§. VI.

Superbi à vilibus animalibus, & bestiolis, humiliati.

Quis est Dominus? Ex. 5. 2. Origenes hom. 3. in Ex. vides quid agat cruda superbia? donec in laboribus hominum non est, & cum hominibus non flagellatur. Denique videbis eum paulò post, quantum proficit in flagellis; quanto melius verberatus efficitur. Ille, qui modò dicit, *nescio Dominum*, postea, cum vim senserit verberum, dicturus est: *orate pro me ad Dominum.* Ecce Pharaò durissimus; tamen proficit verberatus. S. Chrysof: grande Spectaculum Deus universo orbi præstitit; cum superbiam Ægyptiorum S. Rupertus l. 1. c. 34. in Ex. Potentia Dei contra superbiam Ægyptiorum plagis ostensa est per muscas, Ex. 8. 24. & locustas, Ex. 10. 14., & præcipuè scyniphes. Ex. 8. 17.; qui tam parvi sunt culices, ut vix cernantur oculis. Id. l. 1. in Johel c. 2.

Percussit pulverem terra, & facti sunt scyniphes. Ex. 8. 17. Tangens Aaron unam partem pulveris, convertit eam in toto Ægypto in scyniphes. Potuisset Deus facere, ut omnis terra in leones, pardos, vel dracones, converteretur; sed noluit eos, nisi tam parvulis, vilibus, creaturis, ad majorem eorum confusionem, compungere. Diez. fer. 4. Ciner. Tamerlanes, volens vi capere Jerusalem, impeditus per bruchos; qui ejus exercitum adeò vexârunt; ut versus eandem civitatem ulterius ire non potuerit. Rainaldus ad A. C. 1403.

Aperuit Dominus os asinae. Num. 22. 28. An non poterat Deus ad eum mittere Moysen, qui severè puniret tantam audaciam; & magicam ejus artem falsitatis convinceret? Origenes hom. 14. in Ex. aperuit os asinæ, ut argueretur per eam Balaam; & muti pecudis vocibus confunderetur, quòd divinus videbatur, & sapiens. Cestillo Illar. 121.

Quid erigeris in cœlum? & cogitatio tua transcendit cœlum? ecce à pulice vulneraris. S. Hieron. in Ps. 91.

§. VII.

Superbus confunditur libidine.

Balthem regem dissolvit. Job. 12. 18. S. Gregor. mor. l. 11. c. 8. qui membrorum suorum motus bene regere sciunt, non immeritò reges vocantur. Sed côm de ipsa continentia elatione mens tangitur, plerumque omnipotens Deus, ejus superbiam deferens, hanc in immundiciam operis cadere permittit. Regum itaque balthem dissolvit; quando in his, qui bene sua membra regere videbantur, propter elationis culpam, castitatis in eis cingulum destruit.

Ego dixi in abundantia non movebor in æternum. Ps. 29. 7. Existimo, Davidem huic maligno spiritui (adulterii) fuisse derelictum, propter unam illam vocem: *ego dixi &c.* Tam elati enim fuisse animi; ut ejusmodi proferret verbum,